

cum re memoranda certâ relatione jun-  
cta, quæ est vel comparatio: Similitudo  
nempe & dissimilitudo; vel connexio,  
qualis est totius & partis, partis & com-  
partis, causæ & effectus, signi & signati.  
Unde verba inventa sunt, alioqui fuisset  
hominibus difficillimum, rerum memi-  
nisse. Verba enim non tantùm signa  
sunt cogitationis meæ præsentis ad alios,  
sed & notæ cogitationis meæ præteritæ  
ad me ipsum, ut demonstravit *Th. Hob-*  
*bes* principio Elementorum de corpo-  
re. Ex Notis autem illæ maximæ Mne-  
monicæ sunt, quæ sensibilissimæ, ut sic  
dicam, adde §. 14. Uti verba, quæ non  
audiuntur tantùm, sed & cum volupta-  
te, v. g. carmina, termini, ut vulgò vo-  
cant, clappantes, quales conjunguntur  
non sine magna discentium puerorum  
commoditate in nonnullis vocabula-  
riis: Item Allusiones, quo artificio  
*Schickardus* in Horologio Hebraico ad  
imprimendas discentibus radices, usus  
est. Et mirum est, quantum tota har-  
monia